344.C.8. 123 4

EPISTOLA
CUJUSDAM PASTORIS
AD QUEMDAM
S. THEOL: PROFESSOREM

De Methodo abſolvendi à peccatis Venialibus.



BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN

A N T U E R P I Æ,
Apud Viduam RENERI SLEGHERS in Plateâ dictâ de Cammerſtraet, ſub ſigno Scuti Artheſiæ. 1674.

Cum Approbatione.

34-4-C-8

 124

ADM. REV. IN CHRISTO DOM. S. P.

TE ſoſpitem gaudeo, atque etiam munere tuo ritè, quietèque fungentem.

Cæterùm quid de venialium delictorum inſtituendâ confeſſione cenſeas, quemvè in eâ ſervandum judices modum, aveo cognoſcere. Commovet hæc res non nullos etiam non parvæ doctrinæ viros. At me præcipuè angit, quod indè ſubindè audiam etiam ſimplices, & religioſas ac DEO devotas conſcientias turbari.

Propter quod cùm hinc indè exortas controverſias cernerem, ſollicitè ſepoſito partium ſtudio cogitare cœpi, quam hâc in cauſâ, aut ipſe regulam ſequerer, aut rogatus alijs ſequendam traderem. Nè autem in hac tam neceſſariâ re mihi ſoli aut fiderem, aut ſaperem, quidquid mihi viſum fuit tibi ſtatui dignoſcendum tranſmittere.

Imprimis itaque dubium non arbitror, non omnium hic praxim approbandam: ſunt enim qui exteriori confeſſioni nimium confidunt: quippè non pauci cum pluribus vitioſis affectibus ſint addicti, quorum deſiderijs cedentes, eoſdem plerumque lapſus reiterent, hæc una ipſos cura agitat, ut

ſacerdoti cuipiam commiſſa exponant; iſtis verò extirpandis affectibus incumbere, congrua ad hoc adſumere remedia, conſueta peccata veraciter, & cum affectu deſerere aut non cogitant, aut non ex animo, & ut oportet proponunt, perſuaſi confeſſionem ad omnia ſufficere. Meritò hoc abuſum dixerim: non enim ad hoc iſtud nobis inſtitutum eſt ſacramentum, ut ejus uſu, etiam non correctis vitijs, ab eorum reatu liberi ſimus atque ſecuri.

Verùm neque his conſenſero qui ſic ab hoc latere recedunt, ut ad aliud declinent, & dum pravam quorumdam conſuetudinem improbant, nimio, & inconceſſo rigore, etiam piorum conſcientias perturbant. Invaleſcit nunc quædam circà magnos, & inveteratos peccatores ſalutaris Methodus, de hâc non eſt modò dicendum: Aſt à rectâ prudentiâ alienum arbitror ejus regulis hic quoque inſiſtere, & illum funem, quo eruendi ſunt magnorum vitiorum cœno immerſi, elevandis ceſpitantibus juſtis velle producere.

De 10. chordis cap. 11. Serm. 6. de trip. miſ.

Hoc dico, quoniam uti poſt Auguſtinum docet Bernardus: *In gravioribus, & quæ peccata ad mortem ſunt, opus eſt, non modo pœnitentiâ, verùm etiam continentia* quoſdam repugnantibus ijſdem Patribus, etiam ad minora, & venialia juſtorum delicta idipſum extendere. Propter quod ſi quem

quem confeſſionis cauſâ accipiant, ut ferè fit, nonnullæ adhuc infirmitati ſubditum, & per hoc ad eadem, aut ſimilia minutiora, quæ evitare ſtatuerat, relabentem, ejuſmodi ſacramentalem abſolutionem, donec ſeſe emendaverit, eamque infirmitatem ſuperaverit, volunt differendam.

Fateor, diſplicet hoc, dicam mihi? non ille ſum cujus judicium magni fieri debeat, ſed & alijs non contemnendæ auctoritatis viris. Nec immeritò: commovet hæc praxis multas pias animas tùm ſtatu, tùm affectu DEO dicatas; illas, cùm jam incipientium numerum plerumque exceſſerint, juxtà communem Bernardi, Thomæ, & aliorum Sanctorum doctrinam, anxiâ ſuper peccatis ſuis curâ depoſitâ, præcipuè virtutum exercitio, affectuſque in DEUM profectui, oportet incumbere; cui dum pro humanâ conditione cogitationem intendunt, iſtâ quorumdam confeſſariorum moroſitate tardantur, aut etiam revocantur. Cùm enim chriſtianæ pietatis exercitij non modica pars ſit, digna Sacramentorum frequentatio, territæ ad eam accedere vel non audent, vel non niſi cum metu & anxietate. Facit autem hæc illa anxietas, ut ad ſe trahat præcipuam animæ attentionem & cogitationem, ut hic nimiâ ſollicitudine occupatæ, ineptæ ſint, quæ eo, quo oportet, conatu virtutibus ſtudeant, DEOq; va-

cent : neque hoc ſolùm,inſuper triſtes fiunt ac melancholicæ,ſubindè & animo deſpondentes non ſolùm parva non emendant, ſed nonnumquam & ad graviora delabuntur ; non hoc eſt animas curare, ſed perdere.

Videri quidem volunt repudiatâ recentiorum laxitate, veterem SS. Patrum Theologiam ſeſe ſectari, in quo præclariſsimorum hujus temporis virorum ſicut æmulantur ſtudium, utinam & diſcretionem imitarentur : etenim è quo Patre, aut eccleſiæ Doctore hanc ſuam moroſitatem didicerint, vellem mihi adducto loco monſtrarent. Ego eorum lectioni pro mea mediocritate, & otio quod mihi abundat, non modicam operam hactenùs navavi, ſed planè reperio eos aliter ſenſiſſe,& niſi epiſtolarem modum excedere vereor, ipſos ſuis verbis loquentes hùc introducere non foret difficile. Sufficiunt jam adducti Auguſtinus & Bernardus : illis enim, quos protuli, locis hoc mortalia inter ac venialia juſtorum delicta, exprimunt diſcrimen, mortalium veniam non niſi habitâ pœnitentiâ cum continentiâ obtineri. Hæc autem, quia quotidiana & à quibus non ſic poſsibilis eſt continentia, quotidianâ quoque pœnitentiâ deleri.

Quid ergò inquies, iſtam continentiam & ad venialium remiſsionem putas non poſtulari ? intelligenda eſt enim continentia

ſecundùm

126

ſecundùm affectum animiq; propoſitum, cujùs efficaciæ non obſtat, quod quis poſteà mutatâ voluntate ad vomitum revertatur. Ejuſmodi autem continentiam, quis ambigit & ad venialium remiſsionem eſſe neceſſariam? ſivè enim magna ſint delicta, ſeu parva irriſor eſt & non pœnitens, ut Thomæ verbis utar, qui ſimul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit ſe iterùm facturum, quod geſsit. *3. Parte. q. 84. Art. 10. Ad. 4.*

Hanc arbitror præcipuam baſim cui innittuntur, ſed quoad rigoris ſui exceſſum planè imaginariè. Vides enim quæ eccleſiæ lumina Auguſtinum dico, & Bernardum eis adverſentur. Non quod putem, aut ab his ſanctis aſſertum velim, pro cujuſque venialis peccati remiſsione, non opus eſſe aliquâ, ut minùs ſecundùm voluntatis propoſitum, continentiâ, hoc eſt voluntatem peccandi non debere eſſe excluſam: hoc enim à ſanâ doctrinâ, & veritate confiteor alienum, & iſtud eſt totum quod prætendit objectio, cui nequaquam refragari velim. Omninò enim cum Angelico Doctore aſſerendum exiſtimo, ejuſmodi hic neceſſariam eſſe diſplicentiam, quæ peccati actum ſecum non compatitur, diſplicentiam, inquam, ut minus virtualem, quam habet, uti id exprimit idem Thomas, qui *hoc modo fertur ſecundùm affectum in* DEUM, *& res divinas, ut quidquid ſibi occurreret,* *3. Parte. q 87. Art. 1.* *Ibid.*

curreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe hoc commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret.

Manet nihilominùs adhuc jam è Patribus allegatum mortalis venialiſque peccati diſcrimen, quod pro utriuſque praxi velim attendi. In gravioribus, & quæ ad mortem ſunt peccata, vita mutanda eſt, & ſiç corrigenda voluntas, ut omnium, & ſingulorum affectum veraciter à ſe excludat, neque ad ullum eorum vel in futurum velit reverti. Hæc eſt in eiuſmodi peccatis neceſſaria continentia ad hoc requiſita, ut nulla creatura Deo in dilectione æquetur, aut etiam præferatur, qui eſt primus, quo nempè inferior eſſe non poteſt juxtà S. Auguſtinum, juſtitiæ gradus. Quicumque proindè huc nondùm pervenerint, eſto nonnullo juſtitiæ deſiderio commoti, inolitæ ſuæ cupiditati repugnare velle jam cœperint, ſed quia nondùm quantum ei domandæ & ſuperandæ ſatis eſt, meritò eis Sacramentalis abſolutio judicatur differenda. Non hic ſatis eſt, hujus aut illius abſtinentiæ niſi, ut dictum eſt, in voluntatis deſtinatione adſit, quæ Dei gratiâ poſſibilis eſt, omnium continentia.

Ser. 17. de verb. poſt. c. 2.

Sed hanc reſpectu omnium ſimul venialium in hâc mortali vitâ ſuprà ſe agnoſcit humana fragilitas, ac per hoc ſcit ſe eam, ut impleat, non niſi præſumptuoſè propo-

nere; Quamvis enim recto affectu, juſtèque vivendo jam in DEUM pergimus, adhuc tamen, ut dicam cum Auguſtino, *in ſtadio ſumus, nec ſolum percutimus adverſarium bonis operibus, ſed etiam peccata incautius evitando, percutimur. Etenim per ignorantiam & infirmitatem*, ait idem alibi, *non exertis adverſus concupiſcentiam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedimus, tantò magis & crebrius, quantò deteriores ſumus, tantò minus & rarius, quantò meliores ſumus.* Propter quod etiam ipſi Eccleſiaſtici gregis arietes quotidiè DEO docti ſunt dicere: *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Ho. 50. inter. 50. l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 39.

Sed horum peccatorum, non una omnium eademque eſt ratio. Alia ex inadvertentiâ fiunt, aut ſubreptione, aliorum cauſa quoddam eſt præter voluntatem exiſtens accidens, alia denique irregularis quidam adhuc in nobis vivens affectus facit committi. Iſtis primi generis omnes ſubditi ſimus, hæc plenè cavere non poſſe, noſtra eſt, virtutum profectu minuenda quidem, ſed in hac corruptibili carne penitùs non ſananda infirmitas. Tamen huic profectui qui ſedulò intendunt & juxtà ſaluberrimum Hieron. conſilium, minima pro maximis vitare ſatagunt, haud difficulter ab ejuſmodi reſurgunt. Cum enim integros ſe DEO ſervare ament, atque expreſſum etiam mi-

Epiſt. ad Demetr.

nimi peccati propoſitum plerumque abhorreant,dum in ſe revertuntur,affectumq; iterùm in Deum elevant, haud operoſum eis eſt, eorum voluntatem quibus addicti non ſunt à ſe excludere, actuali (ut more ſcholæ loquar) diſplicentiâ ſi advertant, ſin minus, modo ſuprà expoſito, virtuali.

1.2.q. 73. a. 10. ad. 1. 2. Paralip. c. 30. v. 18. Hinc benè Angelicus Doctor ipſis applicat illud Ezechiæ: *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum ſuorum: & non imputabit, quod minùs ſanctificati ſunt*. Propter 1.2. q. 89. a. 2. ad. 3. quod ait alibi: *qui ſunt abſtracti à cura temporalium rerum, etſi aliquando venialiter peccent, tamen levia peccata venialia committunt & frequentiſsimè per fervorem charitatis purgantur*. Remanet quidem adhuc in eis etiam ad brevi relabendum infirmitas, ſed non voluntas, quod ſatis eſt, út hujuſmodi delictorum veniam impetret confeſſionis humilitas.

Nam quod de continentiæ propoſito hic argui poſſet, non alio ferè, in ejuſmodi opus arbitror, quam malæ voluntatis excluſio, & bonæ in anteriora extenſio. Tunc quippe & melius & amplius prædicta cavemus, cum profectui noſtro ferventius inſiſtimus. Sed nec hic profectus quempiam boni propoſiti nimiùm cruciare debet. Nam ut verè Bernardus: *tu homo cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis,*

ſed

ſed te neſciente tuus moderatur profectus, tua vita diſponitur. Sic nimirum, ait iterùm, *conſervandæ humilitatis gratiâ, divina ſolet pietas ordinare, ut quanto quis plus proficit, eo minus ſe reputet profeciſſe. Nam & uſq; ad ſupremum exercitij ſpiritualis gradum, ſi quis eouſquè pervenerit aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix ſibi primum gradum videatur adeptus.* Hom. 2. ſup miſſus. Ser. de 4. modis orandi.

Non itaq; cuipiam ſcrupulos offundere debet, illa proprij profectus ignorantia, ſed ad illum indefeſſe contendat, propoſitique ſui vigorem pravæ concupiſcentiæ pondere indies flacceſcentem, & ſubindè quoque in minoribus deficientem quotidie excitet, innovet, & quibus poteſt ſtudijs ad meliora inflammet; minora illa ſi eorum depoſita ſit voluntas, eſto non adſit adhuc omnino continendi facultas, juxta conſtantem Auguſtini, ſæpiuſquè ab eo repetitam doctrinam, tum delet fidelis & humilis DEO facta confeſsio; ac per hoc ſi clavibus ſubjecta ſint, etiam ſacerdotis abſolutio. Propter quod, qui DEO veraciter ſervire ſatagunt juxta Bernardi monitum, de ejuſmodi non nimiùm ſint, oportet, ſolliciti: *ignoſcet facile*, inquit, *imo & libenter, ſi tantummodò nos agnoſcamus. In hujuſmodi namq; quaſi inevitabilibus, & negligentia culpabilis eſt & timor inordinatus.* Serm. 1. in cœna Domini.

Venio nunc ad illa, quæ dixi occaſione

cujuſdam non voluntarij accidentis, admitti. Quis enim ignorat, quantum ad facilitatem hujus iſtiuſvè vitij committendi faciat ſexus, ætas, indoles, natio, educatio, & plura hujuſmodi: atque hac ex parte *non eſt aliqua conditio hominum* uti & à S. Thoma eſt animadverſum, *cui non adſit pronitas ad aliquod peccatum.* Propter quod dicebat Baſilius: *quot ætatum, & ordinum varietates, totidem & peccatorum genera.* Hic autem facilè & voluntas inficitur, ut volupe jam ei ſit, & gratum iſtiuſmodi immorari. Hæc tum pertinent ad tertium membrum de quo ſtatim.

Comm. in Iob. c. 5. lect. 1.

Hom. in aliquot S. Scripturæ loca.

Sed qui munditiei ſuæ veraciter ſtudent, hujuſmodi ad iſtos lapſus proclivitatem ſivè à natura, ſivè à præterita mala, ſed jam correcta vita, ſive undecumq; exortam in ſeipſis averſantur, eamque confitendo, gemendo, orando, & alijs, quibus poſſunt, modis conantur devincere. Sed non illicò & devincunt. Hic menſes ſæpè, & annos, divinâ ſic diſponente providentiâ, oportet impendere. Hanc ergo victoriam priuſquam adepti ſunt, facilè in ea, quæ jam vitare decreverant, recidunt. Sed quia liberum ab ipſis ſervare ſtudent affectum, haud difficulter quoque reſurgunt: ut ex ipſorum ſimul, & priorum perſona potiſsimùm verum ſit illud Baſilij: non ſumus Angeli, ſed homines, & cadimus, & reſurgimus idque

Hom. de Pænit.

idque ſæpè numero eâdem horâ. His proinde uti & primis, à quibus non longè diſcrepant, niſi quod eis opus ſit nonnullâ ad hæc evitanda majori vigilantiâ, circà ſacramentalem abſolutionem plerumque non oportet nos eſſe moroſos.

Reſtant tertij generis, & quidem juſtorum fidelium non modica immò præcipua pars, qui licet omne gravè peccatum veraciter abhorreant, veniales tamèn quoſdam affectus adhuc in ſeipſis fovent, eiſque ſatisfacere delectantur. Hic cum animi fundus corruptus eſt, ac per hoc non ſic facilè ab ejuſmodi, quemadmodùm ad veram pœnitentiam oporet, reſurgitur. Nam quamvis ab eorum titillante motu, non nunquam conſenſum cohibeant, plerumque tamèn non affectionem mutant, quâ permanente ab ejus ſaturandis deſiderijs ex corde animus non avertitur. Cui enim affectus placet, ejus inclinationi ſatisfieri per ſe non poteſt diſplicere. Hæc eſt in intimo cordis penetrali, quod præcipuè inſpicit Deus, ſemper latens mala complacentia, quam pœnæ timor, beatitudinis, aliorumvè bonorum deſiderium, etiam (quia de juſtis agimus) nonnullus charitatis amor, Dei offenſam averſans, nè in actum proruat, nonnumquam præmere poteſt, affectu illo regnante expellere non poteſt.

Radix.

Radix, hoc eſt, ipſa affectio evellenda eſt, aut certè mortificanda, & quidquid indè pullulat, facilè deficiet.

Sed hic hæret aqua: iſtud enim non ilicò ut volumus & perficimus. In omni arte non niſi dum peritior, & diligentior eſt artifex, operique ſuo ſagaciori curâ intendens, minora errata caventur: ſic eſt & in vitæ regimine. Mortales affectus à ſe excludere fidelium non pauci ſufficiunt, qui tamen minoribus extirpandis adhuc ſuccumbunt: ſed eò minus quò in juſtitia provectiores ſunt, & crucifigendæ carni ſuæ cum vitijs, & concupiſcentijs ſolertiori ſtudio invigilant: ut ea demùm perfecta cenſenda ſit provectio, provectaque perfectio, quæ eos omnes valet excludere, ſive quæ nec cupiditatem adjunctam ſibi habet ſœculi, nec timorem. Sed quis hic & laudabimus eum? ab iſto enim profectu uti plerique adhuc diſtant, ita omnibus venialibus affectibus non ex toto renuntiant. Sed aliud eſt eos toto corde ſequi, aliud ipſis vel ex parte repugnare.

Aug. de Agone Chriſt. cap. 33.

Sunt enim quibus animi ſui munditics ſic cordi eſt, Deiq; diſplicet offenſa, ut parvas etiám cupiditates, quibus ſe inquinari vident, Deumq; offendi in ſeipſis oderint, & averſentur. Tamen quas averſantur, plerumque adhuc ſequuntur. Bona enim voluntas qua cordis ſui inquinamentum,

tum,

 130

tum, Deiq; offenſam vitare appetunt, nondùm idonea eſt neque eas adhuc vires habet, ut etiam à minoribus iſtis cupiditatibus animum ipſis jam antè addictum, planè & integrè valeat avellere. Facit tamen idque amplius quò major eſt, ut non ita deſtinato propoſito plenoque affectu eis ſerviatur: graviores etiam, aut nimiùm multiplices exceſſus quia major eorum offenſa eſt, & immunditics, ſic ſæpè diſplicere cogit, ut animus etiam à priorum cupiditatum affectu nondùm plenè liber, de his tamen ſufficienter pœniteat.

Quid ni & de ordinarijs lapſibus, non quidem omnibus, quibuſdam tamen, eòq; pluribus, quò, ut dictum eſt, perfectior eſt bona illa voluntas, id ipſum dixerim? imò id dicendum arbitror. Cum enim pravis iſtis affectibus ſaturandis ſervitur, ex hujuſmodi iterato uſu, & anima ad ſimiles actus determinatur, quam determinationem habitum dicunt; & corpus, uti ex Philoſophia, & hominum aliorumque animalium, experimento notum eſt, ita componitur ut facilè ad ſimiles inclinationes unitam ſibi animam valeat commovere. Hæc autem, quando jam bonâ voluntate affectibus iſtis repugnatur, fiunt quoque eatenùs involuntaria, ac per hoc accidentia ſecundi generis de quo ſuprà. Hinc ergò exorti etiam ordinarij lapſus

bonà

bonâ illâ voluntate ab anima excludi poſſunt, eſto pravi illi affectus non ſint adhuc integrè mortificati. Quod enim jam antè dixi, permanente pravo illo affectu, ab ejus ſaturandis deſiderijs ex toto animum non averti, de ijs dixi, quæ ex illo corrupto fundo hoc eſt illo affectu in quantum adhuc voluntario procedunt.

Denique non hic omiſero pravum hunc, ſed contrariâ bonâ voluntate jam ſemiſopitum affectum, quamdiù plenè domitus non eſt, haud rarò nec difficilè denuò excitari, viresque reſumere. Cùm enim in corde adhuc, ut ita dicam, vel ſemianimis vivat, ad ſe & ſua deſideria, quaſi pondere animum inclinare non ceſſat: quo ejus contrario niſu & prior ei reſiſtendi voluntas facilè remittitur, & boni propoſiti fervor paulatim flacceſcit, ut jam non eâ quá prius ſolicitudine eidem expugnando intendatur. Hinc ergò occurentibus congruis ei illæcebris (quæ in his minoribus & plures ſunt & vitatu difficiliores) animumque allicientibus & commoventibus ad priorem, aut illo non nihil inferiorem ſtatum, facilè neque infrequenter pravus ille affectus reſurgit & renovatur. Tum verò ſi renovato propoſito, ac reſtauratâ acie iterùm in illum animus inſurgat, hoc ei augmentum demi poteſt, ac conſenſus illi ſaturando præſtitus, ſuffi-

cienter

cienter excludi, & ſi rurſus affectus ille ſurrexerit, rurſum premi. Hæc autem viciſſitudo, in qua paulatim proficiendum eſt, etiam longius protrahi poteſt. Non domita Palæſtina ac fortiſſimis & majoribus hoſtibus enecatis, minores gentes ad erudiendum Iſraëlem in medio ejus domus habitare dimittit. Hoc eſt, exponente magno Gregorio: *Sæpè magnis virtutibus terram promiſsionis ingredimur, quia ſpe intima de æternitate roboramur. Sed dum inter acta ſublimia, vitia quædam parva retinemus, quaſi chananæum vivere in terra noſtra concedimus. Qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipſum vitium, quod ſubigere non poſſumus, ad uſum noſtræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de ſe mens & in ſummis vilia ſentiat, quo ſuis viribus etiam parva quæ appetit non expugnat. Vndè bene rurſum ſcriptum eſt: hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraëlem. Ad hoc namque quædam minima vitia noſtra retinentur, ut ſeſe noſtra intentio ſollicitam in certamine ſemper exerceat, & eo de victoria non ſuperbiat, quo vivere in ſe hoſtes conſpicit, à quibus adhuc vinci formidat. Iſraël ergò reſervatis gentibus eruditur, quando in quibuſdam minimis vitijs elatio virtutis noſtræ comprimitur, & in parvis ſibi reſiſtentibus diſcat, quod ex ſe majora non ſubigit.* Lib. 4. mor. c. 24. 25.

Ex his, puto, vides cujuſmodi ſtatui

oporteat mortalium inter venialiumque pœnitentiam diſcrimen. Mortalium enim pœnitentia nulla eſt, niſi ſit omnium & ſingulorum: ſecus venialium. Plerumque quis verè, & ſufficienter pœnitet de uno, & non de alio, de minori, & non de majori, & è converſo; ex conſuetudine enim v. g. commodo, aut ſpeciali inclinatione affectus ad unum amplius quàm ad aliud allicitur, à quo, & per conſequens difficilius avellitur. Licet etiam delicta ſint ejuſdem ſpeciei, unum tamen altero gravius, ac per hoc propter majorem ſui enormitatem facilius excluditur. Hac etjam de cauſa ſufficienter ſubindè diſplicet ipſe numerus, licet non quodlibet in perticulari; ut quis jam verè nolit tot in poſterum committere, nondum tamen plenè reſolvat, nè ſemel ſuo deſiderio in iſtiuſmodi genere ſatisfacere.

Deindè omnium & ſingulorum mortalium continentia, uti dictum eſt, Dei gratiâ eſt poſſibilis, ac per hoc ut hujuſmodi verè quempiam pœniteat, non ſatis eſt quod eorum voluntatem deponat, niſi etjam verè, & cum effectu proponat ab iiſdem continere. Iſtud autem nemo, ut oportet proponit, niſi qui non tantum id optat; ſed etiam ea media, quæ ad hoc ſibi judicat neceſſaria, velit aſſumere. Aliud eſt juxta S. S. Auguſtini, & Bernardi

jam

jam propoſitam doctrinam de venialibus. Quibus accedit S. Bonaventura cùm ait: *In contritione de venialibus non exigitur propoſitum non peccandi venialiter, ſicuti in contritione de mortali exigitur: ſed ſufficit quod diſpliceat ei peccatum præteritum, & infirmitas, quâ ad peccatum veniale inclinatur: quamvis ab eo omninò immunis eſſe non poſſit: ita tamen quod voluntas non manet fixa in uno veniali, quia illud ſic retentum, non dimitteretur in contritione generali, nec ſpeciali.* *Vel quiſquis eſt auctor Comp. Theol. verit. l. 6. c. 34.*

Non ſic tamen hæc intellexero, ac ſi nullum non peccandi propoſitum adeſſe debeat; cùm enim uti priùs ex Auguſtino dicebam, deteriores magis, & crebriùs, rariùs autem & minùs perfectiores pravis noſtris cupiditatibus ad illicita nonnulla cedimus, quiſquis animæ ſuæ profectui inſiſtit, & cum Apoſtolo quæ retrò ſunt obliviſcens, ad priora ſeſe extendit, vult quoque, & ſatagit magis quàm priùs ab iiſdem continere. Deindè dum quempiam ſpecialiter quædam vitia præ aliis infeſtant, non negavero cum ampliùs his ſuperandis ſeſe debere opponere.

Sed hic alia rurſùm occurrit mortalium, venialumque peccatorum differentia. Etenim S. Chryſoſtomus cùm Theodorum lapſum ad pœnitentiam reſipiſcentiamque commoneret: *Adhortor*, inquit, *antequam*

altiùs ab ea ebrietate commadueris ut reſipiſcas; ut reſurgas, ut crapulam diabolicam ſecludas. Si putas eſſe ſuprà vires ut univerſam ſecludas, & ſenſim & paululùm ejus mali, atque iterùm paululùm deme. At mihi quidem longè facillimum videtur omnes laqueos, quibus complicamur ſimul abrumpere conferendo nos in palæſtram pœnitentiæ. Hoc & ratio perſuadet, cùm enim quis adhuc vel aliquibus mortalibus affectibus indulget, nondùm debitum vitæ ſuæ finem ſibi habet propoſitum, ad quem voluntates, & deſideria ſua colligat: Hæc autem non ſic colligata difficillimum eſt (quod pro longiori tempore S. Thomas dicit impoſſibile) etiam à graviori exceſſu cohibere. Cùm verò quis omnes laqueos, quibus complicatur, ſimul abrumpit, minùs ei operoſum & debitum vitæ ſcopum proſequi, & ejus amore congruis, aptiſque mediis contrarias cupiditates premere, & domare.

Epiſt. ad Theod. lapſum fo. 403. 1. edit. Ant.

Atque hoc quidem dum à mortalibus ſurgitur; cæterùm eundem modum, & in minoribus oppuggnandis defectibus Chiloni tenere vetat, magnus Baſilius: *Falle,* inquit, *voluptates ab eis te per gradus avocans, illarumque ſingulatim exinaniens, ac oblite-rans conſuetudinem: Vt nè confertim, & velut agmine facto in te unum ad unam omnes irritatæ coorjantur, turbulentamque accerſant menti tuæ tentationum intemperiem; unam aliquam*

Epiſt. ad Chilonem.

aliquam earum illicium voluptatum prorſus ſi contingat evincere te, mox adverſus alteram accurrit... aciemque inſtruit... ſpiritualem: atque adeò non intempeſtivam de ſingulis vitæ priſtinæ illecebris conſequere victoriam. In quo tamen provida ſervanda eſt diſcretio: *Non enim ſic unius paſsionis extinctioni*, ait Aelredus, *totâ vehementiâ inſiſtendum eſt, ut ad cætera comprimenda inſtrumentum corporale deficiat, nec opportunius laborandum eſt, ut non quælibet paſſio ſentiatur, ſed cùm ſurrexerit ſecundùm rationis judicium compeſcatur.* Deindè non ſic unum vitium expugnandum eligendum eſt, quaſi aliorum deſiderijs ſecurè intereà licebat obſequi, ſed ut iſti uni domando præcipua animi intentio, & cogitatio impendatur. Alias enim uti à S. Iſidoro eſt annotatum: *Si unum vitium diſtrictè vitetur, & alia negligantur inanis labor eſt. Non enim poteſt in unius obſervatione virtutis fortiter durare, cujus alia vitia dominantur in corde.*

Compend. ſpec. char. cap. 40.

Lib. 2. ſent. cap. 32.

Nimiùm his immoror, & jam dudùm ut reor, tædium te cœpit hujus tam longæ epiſtolæ: at volupe mihi eſt, uti olim preſens verbis, ita nunc abſens calamo etiam prolixius non nihil de his rebus tecum ſermocinari, tamen ut ad finem properem unum te rogo, ut non attendas quorumdam, ut ipſi dicunt, veritatis doctrinam, ut ego arbitror nimiùm, & malè fundatum

rigorem. Iuſtis enim non ſic operoſa eſt, aut rarâ venialium ſuorum pœnitentia: cadimus enim, & ſurgimus uti ex Baſilio dixi, idque ſæpè numero, eâdem horâ. Hoc imprimis de his, quos dedi, primi & ſecundi generis rationabiliter nemo inficiabitur, Iſtis verò tertij generis difficiliùs, ut dixi, eſt & rariùs omnium commiſſorum affectum à ſe excludere. Si tamen pravis ſuis affectibus & cupiditatibus bonâ voluntate repugnare cœperint, nec ipſis, ut probatum eſt, ita ardua eſt, quorumdam ſaltem levium iſtorum peccatorum vera, & ad eorum remiſſionem ſufficiens pœnitentia. Non diffiteor tamen an iſta eorum pœnitentia talis, hoc eſt, vel ad quorumdam excluſionem, & remiſſionem ſufficiens ſit, dum ad praxim venitur, haud infrequenter eſſe ambiguum: cùm enim cupiditatibus ſuis repugnare ſtatuerint, plerumque cum reniſu, & diſplicentia eis cedunt, huiuſmodi ergò parva, & invalida diſplicentia quia peccati actum ſecum compatitur, ad veram illius peccati pœnitentiam, non eſt ſatis: creſcat neceſſe eſt, & tanta fiat, quæ cum illo actu ſit incompoſſibilis. Sed id quando, & in quibus factum ſit, ſæpè vel morali judicio nequit definiri: verùm dubitari non poteſt, eos, & quædam primi, aut ſecundi generis delicta commiſiſſe, quibus cùm addicti

non

non ſint, facilè ab ipſis voluntas avertitur, ut dum de prioribus propter remanentem pravum affectum, etiam invalidè pœnitet, iſto pœnitentiæ motu hæc; aut eorum aliqua, veraciter à ſe excludat. Nam quamvis de his poſtremis minùs forſan mens cogitet, jam tamen affectu illo pœnitentiæ ſic in DEUM elevata eſt, ut ſi quid eorum ſibi occurreret, ſe id commiſiſſe veraciter doleret. Hæc autem animi præparatio juxtà priùs allegatum Angelicum Doctorem, cui accedit & Bonaventura, virtualis eſt diſplicentia ſufficiens ad venialium dimiſſionem.

Vel quiſquis eſt loco citato.

Conveniunt hæc & ijs qui adhuc nonnullis venialibus cupiditatibus toto affectu obſequuntur, aut non niſi leviter ab ijſdem cupiunt recedere. Hos dixi haud facilè ab ijs, quæ iſtis ſaturandis affectibus commiſſa ſunt (niſi fortè extraordinarij ſint lapſus) plenè, & ut oportet reſurgere. Tamen & ipſi dum non fallaciter ad pœnitentiam aut confeſſionem ſe præparant, præterita ſua perperam facta ut minùs in generali reprobant, & nonnullo pio in DEUM feruntur affectu: moraliter autem fieri nequit, quin hæc quoq; ſit ſufficiens diſplicentia aliquorum ſaltem primi, aut ſecundi generis ab ipſis commiſſorum. Nemini proindè horum quatuor dum confeſſorem accedunt, & hujuſmodi primi aut ſecundi ordinis vel

generatim clavibus quoque ſubijciunt, de neceſſitate differendam video abſolutionem. Nullum hic metuendum eſt (quod tamen præcipuè quos nunc impugno opponunt) malæ, & fruſtrà impenſæ abſolutionis periculum. Adeſt enim vel quorumdam delictorum ſufficiens diſplicentia non dumtaxat virtualis, verùm, & dum ſuper iſtis vel generalis fit reflexio & deteſtatio, etiam formalis, adeſt & confeſſio, cum ut minimùm generatim clavibus ſubijciuntur, nec ſpeciatim ſubijci ſit neceſſe, nec congruè plerumque quoad omnia fieri poſſit: nihil proindè adeſt, undè pro humano modo fruſtrandæ abſolutionis diſcrimen oporteat metuere. Hæc tamen non ſic dico, ut cuiquam non particulatim venialia ſua peccata etiam primi & ſecundi ordinis confitendi auctor ſim: hoc enim, modo abſit nimia ſcrupuloſitas, longè optimum eſt. Tum enim & perfectiùs conſcientiæ ſuæ latebras quis diſcutit, & melius ſua illi vitia innoteſcunt, & facilius ab eorum affectu animus purgatur. Tamen hæc omnia neque intelligere poſſumus, & intellecta memoriâ tenere, arduum eſt ac minimè congruum, & confeſſario exponere tædioſum. Propter quod ſervandus eſt piorum modus, à ſpiritualis vitæ magiſtris laudatus, ut præcipua, & undè pendet conſcientiæ cognitio ſpeciatim proferantur,

rantur ; reliquorum ſit ſaltem generalis accuſatio, interior verò eorum pœnitentia ſi vel aliqua ſic generatim expreſſa ſufficienter excludat, eſto adhuc minor ſit quàm quæ pro alijs ſatis foret, ſufficientem Sacramenti materiam facit ſubſiſtere, ejuſque effectum per abſolutionem percipi.

Hæc ſi, uti arbitror, rectè aſſerta ſint, nemini horum quatuor auctor ſim diu differendæ confeſſionis. Ejus enim frequens uſus primis, & ſecundis ſalubris, at tertijs & quartis longè ſaluberrimus. Prioribus, inquam ſalubris eſt, & ipſi enim nonnunquam delinquunt, à quibus niſi ſe tempeſtivè purgent, paulatim repetito actu mala delectatio ſubrepit, animus ſolvitur, & magis ac magis vincentibus, & vincientibus cupiditatibus ſubditur. Adverſùs hunc lapſum ſalutare procùl dubio antidotum eſt juxta SS. Baſilij & Chryſoſtomi monitum, quotidiana propriæ conſcientiæ diſcuſſio; præſtat tamen fræquens confeſſio, tunc enim perfectiùs, ferventiùs ac pleniori cum propoſito adverſùs impugnans nos peccatum, nos ipſos opponimus. Non hoc argumentis probandum eſt, ſed piorum omnium conſcientiæ interrogandæ. Tertijs verò & quartis frequentem ejus uſum dixi ſaluberrimum. Hi enim ad malum promiores ſunt, citiuſque ad pejora prolabuntur, quibus proindè majoribus ſtimulis

Serm. aſcet. de abdic. rerum.
In Pſal. 4. & ho. 22. ad populum.

opus, ut non ſolum retineri poſſint ſed etiam inolitum longo uſu concupiſcentiæ vitium paulatim ſuperare. Non minimum autem eis ſtimulum adfert ipſa confeſſio, plerique enim eorum quia imperfectiores ſunt, pravos ſuos motus vix, aut leviter attendunt, neque unquam ita adverſus eos luctari contendunt, niſi dum eſt confitendum. Quod dum diu ipſis differtur, non vigilantiores, ſed tepidiores, & propriæ conſcientiæ minus ſtudioſos eos facit hæc dilatio. Hinc ſalubriter juvenes, quia præ cæteris paſſionibus ſubditi, monet S. Bonaventura *frequenter confiteri.*

Ep. 25. memorab.

Eſt quidem nonnumquam, uti ex ſuperioribus patet, quod dum Sacramentum ſuſcipere cogitant, & propter hoc inſitas cupiditates ſtatuunt reprimere, imbelli, id eſt non ſufficienti faciant voluntate, habent tamen, ut probatum eſt, & alia peccata, ad quæ delenda iſta eorum pœnitentia ſatis eſt, & bonum eis eſt adverſus iſtas cupiditates etiam imperfecto motu conari. Iſto enim ſæpius repetito conatu & retinentur, ne ad priora deveniant, & paulatim bona augetur voluntas, & monentur cum ſe in ſuo propoſito deficere vident, Deo ſe ſubdere, ejuſque ad hoc perficiendum auxilium implorare. Itaque nec his rectè arbitror, frequentem confeſſionem diſſuaderi, nec diu abſolutionem differri;

niſi

176

niſi enim illa ſubſequatur, minus ſollicitè debilioriquc animo ſuæ emendationi & correctioni plerumque incumbunt. Quod tamen non ſic univerſaliter affirmavero; ac ſi numquam utiliter eis poſſit differri. Hoc enim modo excitandi ſubindè quidam ſunt. qui confeſſionis, & ilicò perceptæ abſolutionis gratiâ nimiùm ſecuri, in expurgandis corrigendiſque vitiis deſides ſunt, & torpidi: eorum tamen non pauci adhuc in CHRISTO ſunt parvuli, quos non in ſuis malis lactare, ſed tamen benignè fovere nos oportet, ut non ad provectiorum fortitudinem eorum vitam æſtimemus; neque omnia media pravis quidem iſtis ſuperandis affectibus congrua, aſt eorum infirmitati nimis ardua injungere, potiùs juxtà magni Gregorij monitum: *Pro eorum viribus imponere præcepta converſationis.* Lib. 2. c. 3. in lib. 1. Reg. Hoc CHRISTUS fecit dum recenter converſos Apoſtolos jejunare noluit, nè vinum novum veteribus uteribus immittens, vinum Math. 9. v. 16. 17. & uteres perderet. Hoc ſponſa ejus catholica imitatur Eccleſia, cui inter ejus veraciſſimas laudes dicit Auguſtinus: *Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quietè ſenes, prout cujuſque non corporis tantùm ſed & animi ætas eſt, exerces & doces.* Lib. 1. de mor. Eccl. c. 30. Hoc & nos qui filij ejus eſſe cupimus, ſequi oportet, ſic nobis ſimus rigidi, ut tamen ſubditis temperati, ſic propriæ vitæ appetamus altitudi-

titudinem; ut tamen alienæ imbecillitati poſſimus compati, ſic ſaluti noſtræ attendamus, ut cum infirmis valeamus & infirmari: infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis. Hoc nobis exopto, & alijs, qui in urbe veſtrâ commorantur, & ut ego quoque quod ad me attinet exequi valeam, precibus, & ſacrificijs veſtris me DEO commendo.

S. Greg. lib. 4. c. 4. in lib. 1. Reg.

Vtiliter imprimetur

A. HOEFSLACH
Librorum Cenſor.